

Alte Drucke

Concilia quatuor generalia

TOMVS PRI=||MVS QVATV=||OR CONCILIO||rum generalium. || Quadraginta
septem Conciliorum prouincialiu[m] au=||thenticorum. || Decretorum
sexaginta nouem Pontificum. Ab aposto=||lis & eoru[m]de[m] ...

Isidorus <Hispalensis>

Parisiis, 1524

DECRETA MARCELLI PAPE.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150505

te. Que eni in occulto fiūt ab ip̄is turpe ē dicere. Omnia autē que arguūtur a lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur lumen ē, propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge a mortuis & illuminabit te christus. Videte itaq; fratres quomodo caute ambuletis non quasi insipientes, sed vt sapientes redimētes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed itelligentes que sit voluntas dei. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini spū loquētes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris domino gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu christi deo & patri subiecti inuicem in timore christi. Omne enim quod irreprehensibile est catholica deffendit ecclesia, Nō licet ergo imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata diuina presumere, nec quicquam quod euangelicis propheticisq; & apostolicis regulis obuiat agere. Iniustum enim iudicium & definitio iniusta regis metu vel iussu a iudicibus ordinata non valeat, nec quicquā quod contra euangelice, vel prophetice, aut apostolice doctrine constitutionem successorum ve eorum siue sanctorum patrum actum fuerit stabit. Et quod ab infidelibus aut hereticis factū fuerit omnino cassabitur. Vos autē state in fide viriliter agite, & omnia vestra cum charitate fiant, huius rei gratia vt ait apostolus flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu christi, ex quo omnis paternitas in celis & in terra nominatur, vt det vobis secundū diuicias glorie sue virtutē corroborari per spiritū eius in interiore homine habitare christum per fidem in cordibus vestris in caritate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis que sit latitudo longitudo & profundum & altitudo, scire etiam supereminētē scientie caritatem christi, vt impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem que operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia & in christo Iesu in omnibus generationibus seculi seculorum, amen, Data. v. Idus Decembris Diocletiano. vi. & Maximo. viii. iiii. cc. concessi.

DECRETA MARCELLI PAPE.



MILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS EPISCO-
pis per antiochenam prouinciam cōstitutis Marcellus, Sollicitudinem omnium ecclesiarum iuxta apostolum circunferentes diuine circanos gratie memores esse debemus, qui nos per dignationis sue misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotalis prouexit, vt mandatis ipsius inherentes in quadam sacerdotum eius specula constituti prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Vnde directis per bonifacium diaconum nostrum litteris admonemus, vt que male pullulant abscindantur, & malefacta corrigantur, atq; bona sectentur, & patrū nostrorū exempla & statuta imitentur. Rogamus ergo vos fies vt non aliud doceatis, neq; sentiatís quam quod a beato Petro apostolo & a reliquis apostolis & patribus accepistis. Ab illo enim primo instructi estis: ideo non oportet vos proprium derelinquere patrem, & alteros sequi, ipse enim caput est totius ecclesie cui ait domini, Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo ecclesiam meam. Et reliq;. Eius enim sedes primitus apud vos fuit que postea iubente domino Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina hodierna presidemus die. Nec ab eius dispositione nos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora ecclesiastica negocia diuina disponente gratia iussa sunt referenda, vt ab ea regulariter disponantur a qua sumplere principia, si vestra vero antiochena que olim prima erat Romane cessit sedi, nulla est que eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes quasi ad caput iuxta apostolorum eorumq; successorum sanctiones episcopi qui voluerit vel quibus necesse fuerit suffugere eamq; appellare debent, vt inde accipiant tuitionem & liberationem vnde acceperūt informationem atque consecrationem. Quod omnibus minime cōuenit denegare episcopis, sed absque vlla custodia aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione libere ire concedatur. Simulque idem inspirate domino constituerunt, vt nulla synodus fieret preter eiusdem sedis auctoritatem, nec vllus episcopus nisi in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate cōuocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiat vel iudicetur: quia vt paulo superius prelatum est episcoporum iudicia & summarum causarum negocia siue cuncta dubia apostolice sedis auctoritate sunt agenda, & finienda, & omnia comprouincialia negocia huius sancte vniuersalis & apostolice ecclesie sunt retractanda iudicio, si huius ecclesie pontifex preceperit. Nec cui liceat sine pre-

k. iiii.

iudicio Romane ecclesie (cui in omnibus causis debetur reuerentia) custodire relictis his sacerdotibus qui in eadem prouincia dei ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, vel aliarum prouinciarum episcoporum iudicium experiri vel pati, sed omnibus eiusdem prouicie episcopis congregatis iudicium auctoritate huius sedis terminetur, quod tamen (vt prefatum est) per eius vicarios si libuerit erit tractandum, & quicquid iniuste actum est reformandum. Pastoralis ergo cura officii nos admonet, & destitutis succurrere, & cuncta neglecta vel male acta reformare, vt ignis ille quem dominus veniens misit in terram motu crebro emendationis vel crebre meditationis agitatus sic caleseat vt ferueat, & sic inflammetur vt luceat.

A Sepe enim dicendum & agendum est, quia mala pullulantia fraternam charitatem oportet resecari, vt bona crescant & augmentandi amplissimum locum inueniant. Nolite ergo (vt apostolus ait) plures fieri magistri mei fratres, sciētes quoniam maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam freno circumducere totum corpus. Si autem equorum frenos in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naues cum magne sint & a ventis validis minentur, circumferuntur autem a modico gubernaculo ubi impetū dirigitis voluerit, ita & lingua modicum quidem membrum est & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam siluam incendit, Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris, que maculat totum corpus & inflammat rotam natiuitatis nostre inflammata a gehenna. Omnes enim nature bestiarum & volucrum & serpentum etiam ceterorum domantur, & domita sunt a Natura Humana, Linguam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem dei facti sunt. Ex ipso ore benedictio procedit & maledictio. Non oportet fratres mei hec ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest fratres mei Ficus oliuas facere, aut vitis ficus? Sic neque salua dulcem potest facere aquam. Quis sapiens & disciplinatus inter nos? Ostendat ex bona conuersatione opera sua in mansuetudine sapientie. Quod si zelum animarum habetis & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem, non enim est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena animalis & diabolica, ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Que ante de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, indicans sine dissimulatione. Fructus autem iusticie in pace seminatur facientibus pacem. Propter quod succincti lumbos mentis vestre sobrii perfecti sperate in eam que offertur vobis gratiam, in reuelatione Iesu christi quasi filii obedientie non configurati prioribus ignorantie vestre desiderijs, sed secundum eum qui vocauit vos sanctum, vt & ipsi facti sancti in omni conuersatione sitis quoniam scriptum est, Sancti eritis quoniam ego sanctus sum. Et si patrem inuocatis eum qui sine acceptione personarum iudicat, secundum vniuscuiusque opus in timore incolatus vestri tempore conuersamini scientes quod non corruptibili auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterne traditionis, sed precioso sanguine agni quasi incontaminati & immaculati Iesu Christi precogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos qui per ipsum fideles estis in deo, qui suscitauit eum a mortuis, & dedit ei gloriam vt fides nostra & spes esset in deo, Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum dei viuū & permanentis, quia omnis caro vt fenum & omnis gloria eius tanquam flos feni, exaruit fenum & flos eius decidit, verbum autem domini manet internum. Hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis, deponentes quidem omnem maliciam & omnem dolum & simulationes, & inuidias & omnes detractiones sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem si gustatis, quoniam dulcis est dominus. At quem attendētes lapidem viuū ab hominibus quidem reprobatur a deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viuī superedificamini. domos spirituales, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles deo per Iesum Christū, propter quod continet scriptura. Ecce pono in syon lapidem summū angularem & electum preciosum, & qui crediderit in eum non confundetur, vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Et lapis offensionis & Petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos

autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos reuocauit in admirabile lumen suum. Estote ergo charissimi prudentes & vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habete quia charitas operit multitudinem peccatorum, hospitales inuicem sine murmuratioe vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratie dei. Si quis loquitur quasi sermoes dei. Si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat deus ut in omnibus honorificetur deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum amen. Data, kalen. Aprilis, Maxentio & maximo, iiii. cc. concess.

ITEM EPISTOLA MARCELLI PAPE AD MAXENTIVM TYRANNVM.



MARCELLVS EPISCOPVS SANCTE ET APOSTOLICE & catholice Urbis Rome Maxentio. ¶ Magistrabonorū omnium charitas que nihil rapit extraneum, nichil agit asperum, nichil confusum, nichil factiosum, nichil quod honori diuino repugnet, anime proprie noceat, aut proximi commodum derogat, oblita sui non que sua sunt sed que dei vel proximi querens, nemini inuidens, omnibus consulens, non seuiens sed compatiens, non rapiens sed largiens, non murmurans sed omnia equanimiter tolerans, si in te perfecte habitaret, temperares animū a malis, seu ire desineres dei ecclesiam ac sanctos eius persequi cessares, tyrannidi modum imponeres, furorem cohiberes, humanitati inuigilares, modestiam amplectereris. & bonis potioribus frui satageres, Charitas enim excercet corda, sensus corborat, ut nichil graue, nihil difficile, sed totum fiat dulce quod agitur, dum eius sit proprium nutrire pacifica, seruare composita, dissociata coniungere, praua dirigere, et virtutes reliquas perfectionis sue munimie solidare. De ipsa ergo omnes monens apostolus ita loquitur dicens. Si linguis hominum loquar & angelorum charitatem autem non habeam factus sum velut es sonans aut cymbalum tinniens, & si habuero omnem prophetiam & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam charitatem autem non habeam nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam nichil michi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non emulantur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit que sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit. ¶ Quisquis ergo in eius se radice inserit, nec a viriditate deficit, nec a fructibus inanescit, quia amore fecunditatis opus efficax non amittit. Licet modo charitas in persecutoribus ecclesie seruorum que dei arefacta sit, viget tamen in amatoribus eius & in eos qui patiuntur propter iustitiam, de quibus ipsa per se veritas testatur dicens, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, & alibi, si me persecuti sunt & vos persequentur, potius enim nos & omnes domini sacerdotes, qui eius videlicet sunt veri sacerdotes elegimus propter iustitiam, & veram fidem persequi, & pro Christi nomine pati, quam multis diuitiis ditari, honoribusque copiosissimus abundare, & celesti regno carere. Ista enim temporalia sunt, illa eterna, ista caduca & ad horam transeuntia illa vero perpetua & sine fine mansura. Tu ergo qui nos suades cultum dimittere diuinum, & a recta fide recedere, diis que immolare, melius tibi foret, ut tu prius mutabile te preberes omnesque exhortareris fidei documenta & diuini cultus ministeria ita tenere sicut patres nostri sancti apostoli sibi tradita predicauerunt & docuerunt. ¶ Boni enim principis ac regis est ecclesias contritas atque scissas restaurare, nouas edificare, & dei sacerdotes honorare, atque tueri. Vnde sanctos apostolos eorumque successores sub diuina contestatione constituisse legimus, non debere fieri persecutiones nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro dominico, neque expellere eterni regis dispensatores, sed si qui expulsi fuerint aut suis rebus expoliati primo omnia legaliter reddi que eis ab inimicis aut a persecutoribus ablata sunt, & sedes proprias cum omnibus ad se pertinentibus regulariter restitui, & postea tempore congruo vocari ad synodum regulariter congregatam, nec liceat ei priusquam fiant hec de se iuxta statuta predictorum respondere, aut de suis impetitionibus si se viderit pre-